19

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MENSTRUATIONE.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. FRANCISCI VAN OUDENDORP,
HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ PROFESSORIS.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*
& *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

PAULUS PHILIPPUS DU CLOUX, LEIDENSIS.

Ad Diem 11. *Januarii* 1752. *hora locoque ſolitis.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM GENET,

VIRO

PLURIMUM

REVERENDO

D. PAULO DU CLOUX,

MERCATORI IN HAC URBE JUSTISSIMO VIGILANTISSIMO, INGENIOSISSIMO, PATRI CHARISSIMO, INDULGENTISSIMO, FILIALI AMORE ET OBSERVANTIA AD ROGUM USQUE COLENDO, VENERANDO, PROSEQUENDO.

Hancce diſſertationem ut &
ſe ipſum

D. D. D.

PAULUS PHILIPPUS DU CLOUX.
AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MENSTRUATIONE.

Materiem hanc Lectori ſiſtens, in antecedente monere eum debeo, me in colligendis, quas in rem meam convenire ratus ſum, ſuppetiis, tum etiam in diſponendis certo ordine ſubjecti mei articulis, non adeo rerum novitate me eum delectaturum fore crediderim, (quod perinde eſſet, poſt tot tantoſque in arte viros, qui de hac materia egerunt, ac ſi quis vellet poſt Homerum Iliadem condere) imo potius, me, diſpoſitione illa, & ar-

articulorum quaſi ab invicem per capitula ſeparatione, clariori rerum intellectui ſtuduiſſe lubens fateor. Quandoquidem autem non detur in noſtra arte materies, quæ non ſuis in exarando pro dignitate prematur difficultatibus, hæc utcunque gravis tamen mihi præ cæteris arriſit, utpote quæ ſpeculationibus variis, & in diverſa abeuntium auctorum ſententiis, & ratiociniis copioſe ornata & onerata ſit, ideoque non tantum mihi ſufficientem ſcribendi copiam præbere, ſed etiam viam monſtrare poſſit: Ceterum de proprio penu pauca deprompta inveniet Lector, potius vero collectionem ex iis, quæ ex meis toto terrarum in orbe celeberrimis Præceptoribus nunquam ſatis laudandis, ut ſummis ſcientiarum fontibus haurire potuerim, item, quæ ex auctoribus lectura ſuppeditavit, quin & ad clariorem rei intellectum, non veritus ſum integras ne dicam auctorum paginas meas facere, ex quibus omnibus tandem ad ſuam molem excrevit diſſertatio: itaque in hac diſſertatione pertractabo, omnia quæ pertinere credo ad menſtruationem naturalem: atque ut Benevolus Lector parvulos hoſce conatus benigno animo excipiat etiam atque rogo. Vale.

De Menſtruatione.

§. I.

Menſtrua Purgatio eſt evacuatio naturalis boni ſanguinis per muliebria, contingens periodice in feminis viro maturis.

§. II.

Inſignitur hæc (§. 1.) purgatio nomine menſtruorum menſium, tributi lunaris; quia hæc evacuatio in genere,

re, quoad periodum, ſatis reſpondet termino menſis vel curſui lunari, inde etiam græce vocantur καταμήνια ſive id dirives a κατὰ & μήνη luna, ſ a μὴν μηνὸς menſis. Vocantur etiam flores, quia, ut dicunt Verheyen & Foreſtus, *ſicuti flores in plantis ſolent eſſe ſignum futurorum fructum ita menſtrua in feminis ſolent eſſe indicium foecunditatis & aptitudinis ad concipiendum.*

§. III.

Locus in genere, eo quo menſtrua (§. II.) naturaliter fluunt, ſunt muliebria; in ſpecie vero vaſa uterina. Non tamen hoc tam ſtricte intellectum velim, ac ſi abſolute nunquam ex vagina eadem profluerent; eo magis, quum videantur certi caſus non aliter intelligi nec explicari poſſe quam per aſſertionem, dari in vagina quoque vaſa, quæ liquorem hunc ſtatis periodis fundant (*a*): Quin & his caſibus ducti quidam auctores in ſententiam eam abierunt, ac ſi menſtrua tantum ex vagina, non vero & utero fluerent: inter quos maxime Clar. Bohnius in Circul. anatom. p. m. 217. qui poſtquam argumenta pro utero adlata parvi ponderis ſibi eſſe pronunciaverit; propriam etiam adducit experientiam in diſſecto infanticidæ corpore: „ cujus pudenda cum vagina uteri quamvis con-

„ ſpur-

(*a*) Ut habentur exempla feminarum, quæ menſtruationem paſſæ ſunt, hydrope uteri laborantes vid. Boerhav. inſtit. §. 665., aliæ laborantes ſcirro; notum autem eſt, tum temporis clauſum eſſe orificium uteri, quin & dantur caſus ubi id abſolute ſic eſt ut habet Cl. v. Deventer cap. XV. de femina „ quæ fluxum menſium demum poſt primam impregnationem experta fuit, poſteaque ſemper ad partum usque ſtatis & ordinatis temporibus effluxiſſe, docente interm. Celeber. Boerhav. inſtit. §. 675. ex Morgagno „ clauſum uterum poſt impregnationem ſtrictura ſuorum muſculorum „ etiam magis in ore obturari per juga membranoſa incervice poſita item R. de Graaf org. mul. cap. VIII.

„ ſpurcata reperiret, cavitatem nihil ominus uteri cum „ aperiret mundam & nitidam cum eo conſpexerunt præ- „ ſentes. huc etiam adfert Caroli Piſonis omnino ſimile exemplum: Nihilominus quum & hi caſus rariores ſunt, 2°. ex argumentis quæ ipſe Bohnius loco citato pro contraria adducit ſententia, fretus itidem auctoritate maximorum virorum (*a*) credo, primum & præcipuum ſanguinis menſtrui effluentis locum eſſe uterum, deinde in quibuſdam, non in omnibus, etiam accedere in vagina vaſa hunc liquorem naturaliter fundentia (dico naturaliter quia R. D. Graaf p. m. 259. effluxum ſanguinis per vaginam pro una ex deviationibus menſtruorum habenti aſſentire non poſſum, quia Characterem aberrationis non habet. Adducor autem magis ad hoc credendum ſi uſus conſidero qui vulgo ſanguini (in non gravidis titulo menſtruorum effluenti) in gravidis tribuuntur, inter quos ſummus & præcipuus eſt ut poſſit inde tum temporis nutrimentum & incrementum foetus capere; cum enim foetus utero incluſus ſit, ita ut ei non detur anſa aliunde ſuccum nutrititium hauriendi clauſo uteri orificio ut dictum eſt pag. præc., neceſſario igitur ex humoribus in uterum fluentibus nutritur, jam vero in pleriſque mulieribus tempore graviditatis ceſſant menſtrua; recipi ergo ſanguinem hunc e vaſis uterinis a foetu hinc maxime videtur veroſimile; nec contra id facit quod auctores dicant, foetum per os nutriri ſero quodam ex glandulis uteri proveniente, etiamſi daremus hoc poſſe aliquatenus fieri, (nec tamen glandulæ illæ ſatis ſunt demonſtratæ) ab altera parte tamen non minus verum eſt, monſtra quæ-

dam

(*a*) Ut Celeber. Boerhav. inſtit. §. 665. Morgagn. adv. anat. I. pag. 46. item adv. anat. IV. animadv. 27. cum celeber. ab eo laudatis Lettrio mem. acad. reg. ſcient. a°. 1702. qui imprimis meretur legi ſuper hanc rem. Spigelio. Dioniſio. R. de Graaf Santorino. Heiſtero comp. anat. not. 32. ad pag. mihi 119. a Caſtro cap. 11. morb mulier.

dam ſine capite, alia ore & naſo clauſis in mundum veniſſe, proinde debuiſſe nutriri per funiculum umbilicalem, hinc non poſſum largiri foetum per os nutriri tantum, quin potius in plane oppoſitam ſententiam inclinarem fretus communicatione manifeſtiſſima vaſorum matris cum iis foetus ope placentæ intervenientis & inſtar pulmonis ſanguinem in gratiam foetus præparantis, probante hoc multis Argumentis Illuſtriſſimo Albino. Huic autem ultimæ conſiderationi videtur Clar. Bohnius reſpondiſſe, vel ſaltem in dubium vocaſſe ejus conſequentiam p. m. 218. „ Præterea ſuccum nutritium foetus alen-
„ di cauſa adducendum utique ad ipſum uterum derivari
„ concedo, hujusque ſuperfluitates puerperiorum nomine
„ poſt partum ex ejusdem interioribus receſſibus eliminari,
„ minime tamen inferre auderem, etiam menſtruum ſan-
„ guinem huc appellere, cum utero ut tali nihil ab excre-
„ tione hac emergat commodi, ſed toti corpori cui per
„ extremitatem aliquam illum rejici ſufficit; plura & con-
„ ſpectiora vaſa ſanguifera fundi uterini ſubire penitiora
„ nec tyrones latet, & quidem foetus imprimis geſtandi
„ cauſa, dubito tamen non immerito de conſequentia,
„ quam inde eliciunt usque dum hæc planior reddatur.
Hujus autem ratiocinii non eſt difficilis ſolutio ut mihi videtur, nam 1°. tempore graviditatis ceſſant plerumque menſtrua, 2°. manifeſtiſſime demonſtratur eodem tempore communicatio vaſorum uteri cum radicibus ut ita dicam placentæ ope mercurii, humores proinde ex una parte in aliam poſſunt fluere & revera fluunt, rogari ergo poſſet quænam eſſet cauſa quæ tempore graviditatis clauderet quaſi vaſa vaginæ (nam in pauciſſimis effluunt menſes) & determinaret potius humores in vaſa uteri, ſi non antea eidem curſui adſueti fuiſſent: Quoad commodum, quod redundat in uterum a menſtruis per eum tranſeuntibus, credo magnum eſſe, communicatione ejus cum placenta ope vaſorum tempore graviditatis poſita: 1°. vaſa per ejus

ſubſtantiam decurrentia per menſtrua ſenſim adſueſcunt dilatationi, proinde poſtea commodius cum requiritur nutrimentum foetui adferre poſſunt; 2°. ipſe paries uteri internus per continuam illam humorum alluentium copiam lubricatur, flexibilis redditur, laxatur, & aptior fit qui facto conceptu, a foetu indies augmentum capiente nullo negotio poſſit extendi: Doctiſſimus Freind conciliavit utramque ſententiam, regulæ ejus tamen non videntur (dicam pace tante viri) mihi admodum certæ, ad dijudicandum ſcilicet, num ex vagina num ex utero proveniant menſtrua: nam 1°. non ſequitur, „ quia in „ gravidis primis menſibus menſtrua patientibus non fit „ abortus, ideo menſtrua provenire ex vagina tantum, quia ut obſervavit Clar. a Deventer cap. XII. pag. 71. „ dantur quædam feminæ quæ primis imprægnationis „ menſibus menſtrua patiuntur: interim notavit cap. IX. „ non niſi fundo uteri placentam adhærere; poteſt ergo ſine ſolutione placentæ ab utero ſanguis ex vicinis in utero vaſis ubi non adhæret placenta effluere via ſibi facta per orificium uteri, cui eidem difficultati eodem modo reſpondet R. D. Graaf p. m. 258. additque „ ſi „ vero fluxus ille immoderatus exiſtat, aut per placen„ tæ locum erumpat, placenta in totum aut eousque „ diſſolvetur, ut foetus ſuperſtes manere nequeat. Nec contra hanc ſolutionem facit, quod dixi ante; quod uterus ſe poſt factum conceptum claudat, docente D. Mauriceau, aliquando poſſe ſe uterum ſtante conceptu aperire, ut emittat quasdam ſeroſitates docente etiam R. De Graaf, primis geſtationis menſibus ſæpe apertum eſſe orificium cap. VIII. 2°. Notat Freindius, in iis, quæ pepererunt propter vias liberius patentes frequentius quam in virginibus ab utero emanare, non video tamen; quod cum obſervationibus conveniat Celeb. enim Littrius loc. citat. mem. acad. reg. ſcient. notat, ſe ſemper æque in puellis, ac in feminis tempore menſtruationis mortuis, &

a ſe

a ſe diſſectis obſervaſſe; ſanguinem tantum ex utero provenire, ita ut nulla hinc certa regula videatur deduci poſſe. mea igitur ſententia & talo quo nititur expoſitis relictaque cuilibet libertate pro bene placito ſentiendi.

§. IV.

Ad aliam me propero ſententiarum differentiam, quæ ſpeculatione ſatis digna mihi viſa fuit, quæ non omitteretur; ſcilicet de ſpecialiori loco fundente ſanguinem in menſtruatione: in varias abierunt ſententias auctores, num is ſanguis e venis, num potius ex arteriis profluat. Qui e venis eundem provenire crediderunt inter quos Doctiſſimus Aſtruc (quem magna cum admiratione audire mihi contigit) hæc præmittunt, 1°. ſi in uterum gravidum injicias mercurium per venas uterinas, tranſibit mercurius in venas placentæ & vice verſa, ſi in venas placentæ injicias, tranſibit in venas uteri; porro: quibuslibet venis uterinis additæ ſunt appendiculæ vermiformes ſic dictæ (a ſimilitudine), quæ in ſtatu ordinario nihil fundunt; in ſtatu autem menſtruorum aperiuntur. Dari autem tales appendices, probatur, ſi diſſecetur femina 8° vel 9° graviditatis menſe mortua, inveniuntur hæ appendices longitudinis ſemipollicis, quæ tamen in ſtatu ordinario ſunt breves & clauſæ, tempore vero menſtruationis & graviditatis elongantur, & in ultimo ſtatu inſinuantur in venas placentæ: probatio autem ſequentibus perficitur 1°. quia ſanguis exit guttatim, quod non videretur poſſe contingere, ſi immediate ex arteriis veniret, 2°. quia color illius ſanguinis eſt fuſcus nigricans, cum ſanguinis arterioſi color ſit ruber vividus, & 3°. quod rem conficere videtur eſt, quod ſanguis menſtruus inſerviat ad lubricandas & flexibiles reddendas vias, per quas nutrimentum debet foetui ſuppeditari, nutrimentum autem per venas venire, ex ſuperioribus deducitur proba-

tis appendicibus, eorumque cum venis placentæ communicatione, & uſu : ergo ſanguis menſtruus venit per venas : reſponderi autem his poſſet argumentis quoad primum, ſanguinem quidem ex arteriis provenire poſſe & tamen non pleno rivo effluere, quia venit tantum ex capillaribus quia 2°. circulatio hîc admodum lenteſcit, ut poſtea dicetur, quia 3°. credo quamque guttam ſanguineam, mole ſua & preſſione a tergo debere vincere reſiſtentiam oſtiolorum per anaſtomoſin dilatandorum : ad 2um poſſet dici quod etſi color aliquantum ad fuſcum accedat proveniat hoc ab eodem illo lentore circulationis in hac parte, ut videmus hoc etiam in aliis partibus ubi ſanguis tantum non ſtagnat ; ad 3^{ium} non videtur æque facile reſponſu, nam ſive retineas appendices illas, ſive dicas ut Bohnius, non poſſe demonſtrari, niſi in gravidis ultimis menſibus, ſi tamen experimentum verum ſit communicationis venarum utriusque partis non poteſt adeo inficias iri. Qui autem ex arteriis autumant prodire hunc fluxum deducunt id ex natura fluxus ipſius : ſanguis exiturus per aliena vaſa cogitur dilatare ea ; (ſive jam ponas id fieri per diapedeſin ſive per anaſtomoſin,) tenetur ergo vincere reſiſtentiam ſibi oppoſitam, hoc autem melius poteſt facere ſi adjutus ſanguine à tergo urgente fortius impingat in reſiſtentias, hoc autem melius facere poteſt, ſi a latiore in anguſtius ſpatium feratur (ex natura omnium fluidorum) adſunt ergo conditiones huic operi maxime accomodatæ ſi per arterias ponas effluere. 2°. dicunt etiam hi viri, ut D. Freindius, ſanguinem floridum & rubicundum eſſe : quibus forſan addi poſſet ſanguinem extra graviditatem titulo menſtruorum effluentem ; ſtante vero conceptu in nutrimentum foetus impendendum, potius ei convenire arterioſi quam venoſi qualitate utpote magis elaboratum minusque alienis commixtum : Quæ tamen argumenta quoniam ab utraque parte niti quodam fundamento videntur, ego Midæ exemplum

emplum reformidans potius ſub judice litem relinquam, donec ulterior experientia nobis quid certius, ſi potis eſt, declaret.

§. V.

Jam forſan eſſet hic locus dare deſcriptionem genitalium muliebrium ſaltem internorum, quod tamen non faciam ne in nimiam molem excreſcat diſſertatio, contentus quædam generalia indicaſſe ſcil. Uterum eſſe corpus pyriforme, ſpongioſum, ſatis tamen compactum tectum expanſione peritonæi, ſitum in pelvi inter veſicam ſurſum & inteſtinum rectum deorſum poſita, obliquè, fundo ad poſteriora & ſuperiora, collo antrorſum & deorſum, terminatum antrorſum oſtio ſuo perexiguo in vaginam, pertuſum interne multis finibus vaſorum quæ in gravidis admodum craſſeſcunt, adnexum ope ligamentorum largorum, ſive alarum veſpertilionum, quæ ſunt duplicatura peritonæi, item ope rotundorum ligamentorum, quæ prodeunt a duobus angulis fundi uteri (ſ partis ejus latioris), & procedunt inter duplicaturam ligamentorum largorum, dein eunt uſque ad aperturam annularem abdominis (*a*). Accipere has partes arterias venas 1°. ſpermaticas, arterias ſtatim infra emulgentes ab aorta orientes; Venas, unam ſiniſtram ab emulgente, dextram ex ipſo venæ cavæ trunco, quæ vaſa inter ſe conjuncta faciunt ſic dictum funiculum ſpermaticum, & in feminis non ex abdomine exeunt, ſed ad ovaria, tubas Falloppianas, ipſum denique uterum in multos diviſa ramos diſtribuuntur (*b*): 2°. accipere ramos ab hypogaſtricis (quæ tam venæ quam arteriæ ſunt rami

(*a*) Vid. Winſl. tom. IV. p m. 65.
(*b*) Idem ibidem collatus cum pag. 24.

rami interni magni Iliaci) qui eunt ad latera uteri ſeque diſtribuunt ad partes ejus tam internas quam externas 3°. huc etiam refert Clar. Winſlow, eodem loco, quos vocat funiculos vaſculares, vulgo (les cordons vaſculaires) quique ſecundum eum videntur oriri ex communicatione vaſorum ſpermaticorum cum hypogaſtricis (*a*): Heiſterus (*b*) duobus prioribus addit accedere ramos ab hæmorroidalibus externis, quæ iterum ab Iliacis oriuntur, imo & Clar. Winſlow (*c*) addit aliquando arteriam epigaſtricam quæ eſt ramus internus iliaci externi dare duos ramos, quorum unus abit ad genitalia & communicat cum aliis arteriis.

§. VI.

Hæc jam vaſa articulo præcedenti enumerata, inter ſe & cum ſuis paribus alterius lateris frequentiſſime copulantur (*d*) ſapientiſſimo ſummi Artificis conſilio, ne ſi, per implicatiſſima hic naturaliter vaſa, forſan aliquod obſtaculum naſceretur ſtatim in totum vitiata foret circulatio, ſed ut poſſet ſtatim ſanguis ſuppeditari ab altero ramo, imo & ab illo eodem ſanguine obſtaculum tolli vel removeri, vel ne etiam obſtructo ramo quodam majori, minores inde ſanguine vacui manerent, Communicationes illas manifeſto oſtendit vaſis alterutrius lateris inflatio, quod etiam melius patet ſi peritonæi membrana, quam hic largitur, & ſub qua illa vaſa reconduntur auferatur vid. R. D. Graaf.

Vaſa hæc in utero gravido vel in puerpera maxime pa-

(*a*) Vide eorum decurſum apud laudat. auctorem p. 65.
(*b*) p. 119. comp. anat.
(*c*) Vid. tom. 3. p. 66.
(*d*) Vid. R. De Graaf de orig. mul. cap. VIII. Winſlow. T. 3. p. 55.

patentia eſſe docent De Graaf Noortwyk & Morgagne (*a*).

Vaſa hæc non recto ſed flectuoſo ductu decurrunt, & quaſi in plexus reticulares diſtributa, copioſiora autem ad uterum dari & arterias & venas quam in vagina notant D. Graaf & Freind.

Notandum etiam hic eſt aörtæ truncum deſcendentem in feminis eſſe majorem quam in viris: Venas etiam hîc ad rationem arteriarum fere duplices eſſe annotarunt auctores, item valvulis carere.

§. VII.

Accipiunt hæ partes nervos a lumbaribus & ſacris & a pari magno ſympatetico ſive nervo intercoſtali (*b*). Vaſa etiam habent lymphatica, notante Cl. Winſlow & Morgag. (*c*): ſe vidiſſe in puerpera veneta cum ſuis amicis ſub exteriori uteri tunica prope oſculi regionem.

De ductibus lacteis, quas per tranſennam tantum attingit Clar. Winſlow quod ſciam hactenus non ſatis elucidatis & ultimo tantum graviditatis tempore detectis nil dicam; donec aliquid certius nobis ſuper hanc rem compareat.

§. VIII.

Sanguis autem titulo menſtruorum effluens eſt ſimilis alii ſanguini e corpore detracto, & 2°, innoxius per ſe ſive ut cum Hippocrate loquar (*d*), in ſanis velut a victima re-

(*a*) Adverſ. 4. animadv. 27. ubi dicit ſe vaſa vidiſſe digitum craſſa in puerpera.
(*b*) Vid. Winſl. T. IV. p. 65.
(*c*) Adv. IV. anim. 45.
(*d*) Lib. 1. morb. mulier. p. 592.

recens mactata procedens; præcipue cum tempore ſuo rite effluit Contra primum aſſertum inſurgit Verheye: fretus ſua hypotheſi de fermento; credit ſcil. „ fermen-„ tum non ita vias aperire, ut ſanguis promiſcue paſſim „ effluat; ſed egrediantur ſolummodo quædam particulæ „ dictis viis magis proportionatæ magiſque accedentes, „ ad naturam fermenti ipſius; ſed præterea quod nullum hic fermentum hic agnoſco, docuit recentiorum experientia, ſanguinem conſtare ex partibus homogeneis, ita ut quævis particula ſanguinea dicta eandem naturam habeat ac tota maſſa ſanguinea, proinde ſive ſint vaſa tranſmittentia quæ unum modo globulum rubrum ſive quæ plures ſimul transmittere poſſint, ſemper eſt & remanet idem ſanguis, ejusdem naturæ. Contra ſecundum faciunt omnigenæ fabulæ de hoc ſanguine catervatim quaſi nobis ab antiquitate prolatæ, quas tamen potius ſilentio prætereo, utpote recentiorum experientia radicitus evulſas, non tamen eſt quod negem, poſſe ſanguinem duiturniore quam par eſt mora nocivas qualitates acquirere & huic loco conſentit Clariſſ. Piſo lib. 3. cap. 48. de cogn. & cur. morb. „ Nam ſi in eo ma-„ leficia reperiantur quæ Plinius commemoravit ea illi-„ us corruptioni, & diuturnæ moræ in utero cum e va-„ ſis excidit accepta referre debemus; additque cauſam, „ alioqui mulieres læderentur tempore imprægnationis & „ lactationis & foetus qui ſanguine menſtruo augetur, „ & novem menſibus nutritur.

§. IX.

Quoad quantitatem, hæc a Doctiſſimo Freind (*a*) ſtatuitur eſſe unc. 20. Hippocrates (*b*) ſtatuit duarum hemi-

(*a*) Emmen. p. 8.
(*b*) p. m. 592. de morb. mulier.

minarum atticarum menſuram, quæ tamen quantitas differt 1°. pro clymate andivi enim Laudatum Dominum Aſtruc differentem, quantitatem in ſua regione optimam eſſe unc. 8. ad 12. 2°. differt pro ætate, cum juniores plus humorum impendant ad nutriendas partes, quam quæ ad florentem ætatem magis accedunt, cum e contra in provectioribus ætate iterum imminuatur quantitas, ſolidis magis prævalentibus conſueto naturæ ordine 3°. pro conſtitutione ut hab. Hippoc. „ quibus corpus plenum „ fuerit his copioſiores menſes feruntur, 4°. pro vivendi genere ſic feminæ quæ duros labores ſuſtinent inſtar virorum minus purgantur, ſic eæ quæ lautiori vivendi genere potiuntur minuſque ſe exercent, cæteris paribus magis purgabuntur, dantur etiam hîc idioſyncraſiæ particulares quæ non in regulas generales incidunt, optimam menſuræ normam dat Doctiſſimus de Gorter (*a*) optimam illam eſſe quantitatem quæ nullam relinquit corpori gravitatem nec vires exhaurit.

§. X.

Periodus hujus fluxus eſt ſpatium menſis unde etiam nomen, variat autem hoc iterum, redeunt quibusdam 27°. vel 28. die quædam x^{ies} in anno, aliæ xiij^{ies} vel xiv^{ies} purgantur, quibuſdam bis in menſe abſque ſanitatis noxa, aliis ne ſemel fluunt vid. Freind. p. 2. Maxime naturalis ordo videtur, ut in ſpatio paululum minori, quam menſe civili redeant, & fere lunæ periodum quoad dierum numerum ſequantur. Non tamen pro verſiculo:

Luna vetus vetulas purgat nova luna puellas.

Ob-

(*a*) Compend. medic. tract. 33.

Obſervantur enim, in omnibus regionibus feminæ cujuscunque ætatis menſtruá ſua pati quavis lunæ phaſi : differentiæ hîc iterum petendæ a regione, ætate, temperie vivendi genere, tandem ab idioſyncraſia, denique, quod addit Doctiſ. Freind, a regularitate majore vel minore in retinenda perſpirabilis certa quantitate.

§. XI.

Duratio illius fluxus ab Hipp. loco citato p. 592. ſtatuitur, per biduum vel triduum, in aliis durat ad 5 vel 6 dies, in aliis tantum per 24 horas, ſi autem plures dies durat tum datur tantum copioſus effluxus die medio, aliis vero diebus quaſi progreſſio accreſcens & decreſcens datur, aliis de die, aliis tantum noctu fluunt, aliis opus eſt motu, aliis non.

§. XII.

Subjecta quæ hunc fluxum patiuntur ſunt feminæ maturæ viro ſive ut dicit Celeber. Boerhavius §. 665. inſtitut: ,,. Simul ac virgo ſana, adepta terminum ſui in- ,, crementi, incipit conficere plus humoris boni, quam ,, ſuſtinendo corpori requiritur, quum augendo non am- ,, plius impendat, implebit plus vaſa maxime uteri- ,, na . . . hinc & lateralia vaſcula in cavum uteri evacu- ,, antia humorem, valde impleta extendet . . . dilatantur ,, vaſcula uteri, ita ut ſanguinem ipſum in cavitatem u- ,, teri ſtillent, os ejus lubricatur, laxatur, ſanguis exit. Scilicet in noſtris regionibus 14°. vel 15°. anno ætatis ſuæ ut plurimum purgantur feminæ ut habet Hofm. diſſert. de ætat. mutat. &c. ,, circa decimum quartum an- ,, num in feminis uteri vaſculoſa compages ampliatur, ,, canales tortuoſi explicantur, ſanguinem ſuperabundan- ,, tem recipiunt eundemque nimis accumulatum demum

,, eru-

„ eructant : Exceptio multiplex datur in hac re. ſcilicet viſæ ſunt quæ a°. ætatis 6°. 4°. 1°. 5°., recens natæ etiam fluxum paſſæ ſunt (*a*), facit huc iterum clyma ſic in hiſpania obſervantur a°. 11°. vel 12°. purgari, in indiis 7°. & 8°.

Ceſſant eadem menſtrua plerumque circa ſeptimum ſeptenarium hac tamen diſtinctione ut (præter particulares obſervationes a generali lege abcedentes (*b*) obſerventur in iis in quibus maturius eruperunt, citius iterum ceſſare & contra, ut refert Doctiſſimus De Gorter (*c*) ſe vidiſſe puellam in qua ad 26 uſque annum non comparuerunt ſine incommodo, notat tamen ſimul, has feminas & ultra 50 annum menſtrua pati: obeſis etiam a trigeſimo quinto anno menſes ceſſare incipiunt (*d*).

§. XIII.

Sequenti autem Tenore fluunt ſcilicet primo prodit liquor quidam tenuis inſtar lymphæ vel ſeri, mox aliquid loturæ carnium ſimile, dein ſanguis ut videtur ex colore purior, mox iterum minus coloratus tandem ſeri iterum vel lymphæ inſtar, idque plerumque lente admodum nec continuo ſed interrupto rivulo, vel ſpecie ſtillicidii potius. Ceſſant autem, ſenſim parciori copia prodeundo vel longiori intervallo vel utroque ſimul donec in totum diſpareant.

§ XIV.

(*a*) Vid. Littrium. mem. acad. ſcient. 1708, S. V. D. Wiel obſ. 77. cum auctor. ibi citatis ſic etiam Schenkium lib. 4. obſ. 1.
(*b*) Ut habet Littrius loco citato de femina quæ 80°. ætatis anno purgabatur ſicque paſſim apud alios obſervatores.
(*c*) Compend. medic. tractat. 33.
(*d*) Vide P. Foreſtum lib. 28. obſ. p. 10.

§. XIV.

Quoad Modum quo utitur natura varium pro varia ſententia propoſuerunt auctores, ſcilicet in genere conveniunt, ſanguinem ex capillaribus fluere, fieri autem id non per diæreſin (huic enim tum quovis menſe ſuccederet inflammatio excoriatio exulceratio, ut videmus in hæmoptoe facta diaireſi in pulmonibus, ulcus enim pulmonis inde ſecuturum pronunciamus,) alius ergo debet eſſe modus; quia hæc ſupra dicta non videmus fieri: qui ſanguinem e venis fluere contendunt dicunt id non poſſe fieri per extremitates utpote arteriis continuatas 2°. etiam quia humores aliter moventur; debere ergo neceſſario ſanguinem effluere per appendices vermiculares, quæ ſe aperiant tempore menſtruationis in uterum & tempore graviditatis inſerantur in venas placentæ: qui vero ab arteriis eum derivant varie iterum ſentiunt. Doctiſſimus Freind putat: „ per momentum ſanguinis auctum magis in latera arteriarum, jam maxime per copiam humorum intus contentorum diſtentarum & diſtractarum rariore proinde textura gaudentium, utpote ab ampliore in anguſtius ſpatium devenientis inpingi, hoſque parietes utpote in minori fibrarum contactu propter rariorem texturam facilius impingenti momento, conſtanti ex aucta quantitate & velocitate ſanguinis, proinde etiam auctiori cedere & a ſe invicem recedere, fieri ergo hic ſpeciem anapaideſeos, cui tamen ſententiæ non poſſum accedere: crediderim potius cum Celeber. Boerhavio, fieri id per anaſtomoſin, eumque modum eſſe corpori minus moleſtum, ſcilicet accumulatum ſanguinem in tot vaſis hîc præſentibus admodum lenteſcere, mole tamen ſua & columna ſanguinis ſemper aucti, indies ſenſim urgeri ex majori vaſorum ordine in minora & capillaria, eaque etiam ſenſim

ſim dilatare, donec ad eorum fines pervenerit ſanguis, quæque vaſa non ultra ſphæram activitatis ſuæ dilitata, ceſſante poſt debitam evacuationem plethora, proinde etiam preſſione humorum a tergo, ſe iterum in ordinariam ſuam capacitatem contrahant, & nil niſi lympham roridam tenuem uteri internam ſuperficiem ab exſiccatione præſervantem emittant.

§. XV.

De cauſis hujus fluxus multum etiam ab auctoribus diſputatum fuit: putantibus aliis, a fermento quodam quibusdam inſito utero (*a*), quibusdam quovis menſe in tota maſſa contingente, & ad uterum determinato (*b*) derivandum eſſe, aliis vero a Luna agente in corpus femininum: his tamen rejectis utpote ſatis ab aliis refutatis, tertia ſequitur ſententia ſiſtens Plethoram: huic quoque addictus ſum diſtinguendo tamen, ſcilicet apparet facile fieri evacuationem hanc propter abundantiam, quia ferunt eam ſine incommodo feminæ, imo cum euphoria, quin & inde læduntur ſi non evacuatio hæc fiat; Phethora ergo eſt cauſa materialis: generatur in feminis, quia iis eſt 1°. cum viribus viſcerum chylopoieorum bonis conſtitutio laxior mollior, quæ nota eſt certiſſima fluidorum ſupra ſolida prævalentia, talis autem conſtitutionis feminas eſſe notat Celeber. Boerhavius (*c*). 2°. quia citius perveniunt ad terminum ſui incrementi, quod poteſt conſiderari ut effectus primi, hic tamen fit cauſa: ſcilicet poſt acquiſitum illum terminum partes illæ boni ſanguinis, quæ alias abſumuntur in incrementum neceſſario hic remanent in maſſa humorum, utpote quia iis ad

(*a*) Verheyen Tract. 1. cap. 20.
(*b*) R. D. Graaf org. mul. p. 260.
(*c*) Inſtit. §. 661.

ad augmentum amplius opus non ſit: accedit & hoc, quod feminæ utpote delicatiores ſatis in genere indulgeant cibis molliuſculis & blandioribus facile in chylum reſolvendis: ab altera parte minus perſpirant ut habet Celeber. Boerhav. (*a*) quodque Doctiſ. Freind ex viribus imbecillioribus per pulſum languidiorem innoteſcentibus optime deducit, quippe partes laxiores, ut ſunt in genere omnes femininæ, minus ſe contrahunt proinde minus cito liquida propellunt, ſicque intra datum tempus non toties ad orificia vaſorum exhalantium appellit liquor ac in iis, qui fortioribus viribus contractilibus & propellentibus gaudent. Cui rei etiam optime inſervit otioſa magis vita in feminis quam in viris, quibus per activam magis vitam plura deterentibus & diſſipantibus, iterum multis novis particulis opus eſt, ad detrita ſolida reparanda, & diſſipati fluidi damnum reſarciendum, ut utrorumque craſis in debita conſtitutione & proportione conſervetur.

§. XVI.

Hæc jam (§. XV.) explicata cauſa materialis non ſufficit ad intelligendam menſtruationem (§. I.) datur etiam alia cauſa quam poſſumus determinantem vocare, & niſi hæc adeſſet poſſet æque per aliam quamcunque partem corporis humani effluere ſanguis ſuperabundans: hanc ergo cauſam efficiunt 1°. ſitus uteri in pelvi admodum commodus neque preſſio a vicinis ſive ut dicit Celeber. Boerhavius „ capacitas pelvis præ ea, quæ in viris in„ gens, nec tamen extra graviditatem multa ſunt quæ „ eam replent. 2°. Plurima vaſa huc delata & multo plura ad proportione habita quam in ulla corporis parte,

(*a*) Inſtit. §. 662.

te, unde aortæ etiam truncus major in feminis: 3°. arteriarum in utero decurſus mirabilis ſcilicet tortuoſo ductu; plexusque varios reticulares & quaſi glomeres vaſorum diceres implicato & ſerpentino reptatu decurrentes; & ſibi invicem per anaſtomoſes junctos, quibus omnibus hic efficitur magnus lentor in circulatione, utpote, quod ſanguis debeat longum illud iter percurrere non tantum, ſed etiam ſuperare omnes reſiſtentias, quas in variis illis flexionibus per retuſionem patitur: non tamen ideo ſtagnare ſanguinem putamus, tantum lenteſcere (obſtructioni tamen ab eo lentore forſitan oriundæ proſpectum eſt per anaſtonoſes a diverſis partibus ſibi occurrentes) 4°. abſentia valvularum in venis, duplex inde effectus. 1°. lentor circulo ſanguinis hic præſentis, ſanguis enim ab arteriis in venas per intervalla propulſus, per defectum valvularum tenetur ſemper ſuperare reſiſtentiam totius columnæ ſanguineæ contentæ in venis quod neceſſario debet refringere ejus vim & accumulare eum ibidem loci, inde ſequitur 2us effectus quod hinc magis feratur in vaſa minoris ordinis eaque ſenſim magis & magis diſtendat: & huic lentori etiam id favet quod venæ arteriis ſint ut in aliis locis capaciores ut videre eſt apud Hofman. in diſſert. de ignorata uteri ſtructura p. 340. ubi & idem obſervat pinguedine carere uterum quod putat ideo fieri, „ ne membrana adipoſis vaſculis inſtructa liberiori „ laterum expanſioni & contractioni obſtet. Doctis: vero Freind. p. 25. „ ut „ vaſa fibris ipſius intertexta minus ſuſtinere queat, aut „ munire, & ſic eorundem evolutioni & impletioni ad„ eoque dilatationi obeſſe: quod ultimum præcipue in rem noſtram facit.

§. XVII.

§. XVII.

Sanguis itaque in toto corpore copioſior factus per §. XV. ad uterum determinatus ibidemque accumulatus per §. XVI. cauſisque tamen iisdem permanentibus, tandem intolerabilis futurus, ſi ultra ſpæram activitatis impleviſſet adeoque diſtendiſſet vaſa, ſibi per eadem illa vaſa anaſtomoſi dehiſcentia (ut credo) exitum quærit, vaſis interim, ſenſim magis liberis factis, agentibus & conantibus humorem, cauſam ſuæ diſtentionis præter conſuetudinem, expellere vi ſua contractili qua ſemper pollent. Quæſtio autem magna eſt quare tam regulariter ſtatis periodis effluat (omnibus ſecundum naturam rite procedentibus) ad quod explicandum utitur Doct. Freind calculo a perſpirationis imminutæ quantitate deſumto ſcilicet ſupponendo, quavis die imminutionem illam eſſe trigeſimæ partis: Fateor explicationem illam quidem aliquatenus ſatis facere & non inconcinne rei accommodatam fateor tamen ſimul mihi non prorſus ſatisfacere; poſſum enim quidem concipere ſi quavis die trigeſima pars totius, ſupprimatur, ſpatio triginta dierum totum accumulatum iri, non tamen video, quare potius $\frac{1}{30}$ pars quavis die ſupprimeretur & non poſſet tantum $\frac{1}{40}$ vel etiam $\frac{1}{20}$ ſupprimi, proinde prolongari vel abbreviari periodus: ſimili ratione, ac gratis ſupponitur, cauſam partus eſſe meconium in foetu circa nonum præciſe menſem acrius factum tumque eum ad exitum ſtimulare proinde producere partum: quare enim acrimonia præciſe ad nonum menſem eo intenſitatis adſcendit, idque in omnibus plerumque ſubjectis, cujuſcunque etiam temperaturæ ſint matres; earumque humores. quare non potius 7°. 8°. vel etiam 10°. menſe hoc fit: interim hoc licet verum poneretur non apparet relatio quam haberet illud meconium ad os uteri laxandum, dantur præterea feminæ quæ

4°.

4°. 5°. 6°. graviditatis menſe plus agitari foetum ſentiunt, an hæc agitatio iterum a meconio? certe non videtur. Ex his aliiſque ſimilibus in rerum natura obſervatis plurimis maxime mihi perſuaſum habeo cum Celeberrimo toto terrarum orbe Albino præceptore digniſſimo ſumme venerando, dari certas quasdam naturæ leges, ei in principio a Creatore inditas, ſecundum quas, certa quædam determinata ſub determinatis conditionibus fiant, quæ quidem videmus fieri quorum tamen rationem aſſequi minime poſſumus, V. G. ut in exemplo remaneam, qualis eſt partus: nonum ſcilicet menſem in rerum natura determinatum eſſe maturitati & proinde excluſioni foetus, tumque omnia ſe accingere & quaſi conſpirare in unum hoc opus non per determinationem unius cauſæ quale eſt meconium, ſed per ſyndromen plurium huc tendentium; ſimiliter in menſtrúatione in genere derminatam eſſe periodum menſis circiter civilis vel potius lunaris quo tempore conditionibus, huc pertinentibus rite procedentibus, femina ſe liberat ab onere ſibi perquam moleſto futuro, ſi diutius intra corpus manſiſſet non ut credo, quia præciſe eo die tanto plus moleſtiæ, hic ſanguis attuliſſet quam paucis diebus ante, tantum, quia hoc tempus ſic a ſummo rerum humanarum Opifice conſtitutum eſt: nec difficultatem pariunt variæ in variis mulieribus differentiæ menſtruorum quoad quantitatem, periodum, durationem, quia hæc tantum legem naturæ variatam, non vero mutatam arguunt, ideoque dixi adeſſe debere determinatas conditiones: variatio autem hæc tantum pendet a rebus extra nos poſitis, quæ ſub titulo rerum non naturalium in forum medicum veniunt, & a variis relationibus, quas hæ res, quoad varia ſubjecta habent, aër, cibus, potus, ingeſta, geſta, animi pathemata, applicata &c. ipſa interna diſpoſitio varia; quin & ulterius hanc legem probat obſervatio Illuſtris Sanctorii ſcilicet: „ in viris

D quo-

„ quoque ſanis & moderatiſſime viventibus corpora ſin-
„ gulo menſe fieri aliquantum ponderoſiora, circa finem
„ tamen menſis redire ad conſuetum pondus, facta pri-
„ us criſi per urinam paulo copioſiorum vel turbidio-
„ rem: Similes obſervationes habentur de ſanguine per hæmorroidalia aliaque vaſa periodice fluente (*a*), ut & quædam obſervationes de ſanguinis per penem periodico effluxu (*b*). Hoc etiam poteſt contingere in iis a ſuppreſſa paululum & accumulata perſpiratione vel a ſanguinis nimia abundantia; legem tamen naturæ eandem hic agnoſcamus oportet, quia contingit ea evacuatio periodo tam regulari, cum alias, ſaltem in caſu a Sanctorio propoſito videretur quovis die ſuppreſſa illa perſpirabilis illius vel præcedentis diei portio per urinas ſine ſubjecti incommodo potuiſſe evacuari:

Dantur tandem feminæ quæ nunquam menſtrua patiuntur quæ tamen optime habent, nec etiam minus aptæ ſunt generationi, & videretur huic rei explicandæ difficultas ineſſe: Fateor dantur talia exempla ab auctoribus memorata, hæc tamen rariora ſunt, hinc a particulari adgenerale non datur concluſio; accedit & hoc quod conditiones §. XV. enumeratæ hic potuerint deficere: v. g. dantur feminæ ſtricti admodum temperamenti, dantur aliæ duris admodum laboribus ſe exercentes, aliæ etiam cibis durioris concoctionis indulgent; hæ proinde omnes non faciunt ſuprapondium humorum requiſitum ad fluxum menſtruorum, quin & quis dixerit an non aliæ forſan evacuationes huic ſucceſſerint, conditionibus forſan §. XVI. non præſentibus: ſupra pondium autem tum non præſens, alio tamen tempore iterum generatum, patet ex obſervatione auctorum, feminas

(*a*) Vid. Freind. emmen. p. 74. auctoreſque ab eo citatos.
(*b*) Vid. S. V. D. Wiel Cent. 1. obſ. 80. cum auctoribus ibidem allegatis.

nas quaſdam, etiamſi non prægreſſa evacuatione menſtruorum tamen concepiſſe, & debito tempore infantes in lucem edidiſſe, indicio ſufficientem materiei quantitatem tum temporis adfuiſſe ad hoc opus peragendum quæ alias ſine corporis noxa propter ſuprapondium (& proinde deſtructum inter ſolida & fluida æquilibrium) non intus manere potuiſſet ſed potius debuiſſet e corpore eliminari quocunque modo; niſi malit quis dicere, matres illas de propria ſua ſubſtantia (non confecto in gratiam foetus ſuprapondio) nutrimenti & incrementi materiem foetui præbuiſſe, quod tamen nondum videtur ſatis probatum: foetum autem nutriri poſſe ex materie alias titulo menſtruorum effluente, eamque eſſe ſufficientem quoad quantitatem calculo mathematico probavit Doctiſſimus Freind cap. 2. de Emmen. & hæc dicta de cauſa menſtruorum ſufficiant.

§. XVIII.

Ceſſant autem naturaliter, ut diximus antea, certo ætatis tempore. Ceſſant autem plerumque etiam (quam auctores quidam non naturalem ſuppreſſionem vocant, quæ tamen potius pertinere mihi videtur ad naturalem; quoniam fit ut aliud quoddam opus naturæ congruum peragatur) tempore graviditatis & lactationis: dico plerumque, quia exempla pro contrario etiam dantur ut exemplum a me ante citatum ex Clariſ. V. Deventer; S. V. D. Wiel aliique obſervatores quædam adducunt exempla feminarum, quæ toto geſtationis tempore menſes paſſæ ſunt: alioquin Diſtinguenda erunt tempora graviditatis: in multis admodum feminis primis graviditatis menſibus fluit ſanguis, quod inde provenire antumo, ſapientiſſimo naturæ conſilio, quia foetus cum ſecundinis utpote nondum aptus conſumendo omni ſanguini a matre ad eum miſſo, eique in ſuam ſubſtantiam convertendo periculum

adiret, ne a nimia quantitate ſuffocaretur, hinc etiam feminis quibusdam imprimis temperamenti plethorici primis geſtationis menſibus ſanguis detrahitur prophylacticè: Hippocrates adeo cognovit menſes ceſſare tempore graviditatis, ut pro uno ex ſignis ejus habuerit ſi cum aliis conjungeretur hinc dicit aph. 61. ſect. V. „ Si mu-„ lieri purgationes non prodeant neque horrore neque „ febre ſuperveniente, cibi autem faſtidia ipſi accidant, „ hanc in utero genere putato; imo ut male ominatus ſit de procedente tum temporis purgatione hinc dicit aphoriſmo proxime præcedenti „ ſi mulieri in utero gerenti „ purgationes prodeant foetum ſanum eſſe impoſſibile, quem tamen aphoriſmum cum reſtrictione intelligendum eſſe credo, alias non conveniret cum experientia quæ contrarium probat in feminis admodum plethoricis teſtante S. V. D. Wiel aliisque obſervatoribus ante laudatis.

Quoad lactantes P. Foreſtus lib. XVII. obſerv. ait „ mammarum & uteri maximum eſſe conſenſum, ita ut „ nec lactatio nec menſtrua purgatio ſimul eſſe poſſint; unde ex Galeno adducit, „ quibus menſes mediocriter „ feruntur, iis lac in mamillis non colligitur quibus ve-„ ro hoc large ſuppetit, iis plane menſes ſupprimuntur hinc idem ibidem præcipit, „ ſi nimis menſes fluant, & „ impediant, ne lac oriatur retinendi ſunt, ſupprimun-„ tur autem tum ſine ulla noxa ut ait idem lib. 28. obſerv. Ratio autem hujus ſuppreſſionis naturalis videtur petenda eſſe a communicatione vaſorum mammariorum cum epigaſtricis per quæ vaſa ut diximus antea ſanguis fertur ad uterum, cujus autem communicationis ope (mammis jam tempore graviditatis turgentibus) humoris ſuprapondium ad mammas defertur, & huc deinde etiam magis per ſuctionem determinatur, & hinc contra feminis quibus ex profesſo lac ſupprimitur, poſt partum etiam copioſiora fluunt lochia, hanc autem communica-

tio-

tionem notant Euſtach. T. 27. fig. 12. & Winſlow Tom. 3. p. 58.: ſcilicet arteria epigaſtrica eſt ramus internus Iliacæ externæ, ſive ramus ſecundarius magnæ Iliacæ, ejusdem autem magnæ Iliacæ ramus internus, isque primarius eſt arteria Hypogaſtrica aqua ſanguis per ramos mittitur ad uterum, ſi ergo ſanguis veniens ex aörta in Iliacas per ramos communicationis potius amandetur ad mammas per ramos communicationis cum mammariis internis, facile patet non poſſe per uterum titulo memſtruorum effluere, mechanicam autem rationem quare ſanguis potius eat ad partes ubi majorem reſiſtentiam invenire debere videretur quam contra, primo adſpectu non apparere lubens fateor, quum videretur corpus directione quadam motum eo ferri quo minorem invenit reſiſtentiam: ſi tamen rem propius inſpiciamus non videtur ita difficile hoc explicatu; ſcilicet quo tempore incipit in puellis viro maturis ſuprapondium generari adeoque partes ad menſtruationem accommodari & evolvi; tum temporis etiam videmus mammas incipere ſororiare, evolvuntur ergo tum jam vaſa ad eas pertinentia & idonea redduntur æque ac vaſa uterina ad ſuprapondium illud recipiendum, hinc credo ipſo eo tempore jam ad eas fluere humores, æque ac ad uterum per eos ramos communicationis: tempore autem graviditatis imprimis ultimo, quum omnia jam turgent in utero multaque tum temporis ſunt, quæ eam replent, non mirum eſt ſanguinem ferri ad mammas in quibus tum jam plus minus viæ præparatæ ſunt; & in quibus tum minorem etiam invenit reſiſtentiam, ſanguinemque eundem ulterius partium evolutioni ibidem loci operam navare quis dubitet tandemque partes eas lactationi aptare quæ explicatio videtur ſatis cum re ipſa convenire, ſi quis tamen mechaniſmum hic potius exulare velit; poteſt recurrere ad primam cauſam naturæ ejusque legum ſummum auctorem. Menſtrua in lactantibus deficere teſtatur Magnus Hip-

pocrates aphor. 39. Sect. V. „ ſi mulier quæ nec præ-
„ gnans eſt nec peperit lac habeat ei menſtrua defece-
„ runt, huc etiam facit aph. 50. Sect. V. Credo autem ad defectum illum menſtruorum ſaltem primis a partu menſibus aliquatenus facere poſſe magnas lochiorum evacuationes, viriumque in partu diſpendium, in reliquo autem tempore ſuctionem lactis ipſius huc facere determinantem lac ad mammas, unde dicit Divus Senec mulierem ſi velis menſtrua cohibere, cucurbitam ad mammas appone, qua ſcilicet idem efficitur ac ſuctione.

§. XIX.

His (§. XVIII.) jam placet Fideliſſimo rerum obſervatori Foreſto lib. 28. coroll. obſerv. primæ. addere cantatrices & ſaltatrices, dicens „ has præ exercitii ve-
„ hementia omnino non, & mulieres calidioris naturæ
„ & temperaturæ & fortibus exercitiis utentes & agre-
„ ſtes parum purgari. Ad naturalem ſuppreſſionem poſſumus quodammodo etiam referre quam, extenuatæ & longam inediam longosque morbos vel magnas evacuationes alias paſſæ experiuntur, quia in his deeſt cauſa materialis, & hinc utplurimum citra noxam ceſſant hæc menſtrua; unde ut revocentur, non ad ea indicatio curatoria dirigitur.

§. XX.

Accidentia quæ obſervantur inſtante menſtruatione, dependent maxime a ſequentibus 1°. a ſanguine hic loci magis accumulato proinde etiam vaſa diſtendente nervosque vicinarum partium premente, hinc lumborum & coxarum dolor & æſtus aliquando etiam febricula a ſanguine nimis a tergo urgente 2°. a compreſſione nervo-

rum

rum imprimis ad inferiora tendentium, idque per vaſa ſanguine turgentia, hinc crurum dolores obtuſi quaſi item laſſitudines, aliquando etiam inflationes 3°. a partis alicujus cum genitalibus ſingulari conſenſu propter vicinitatem, ſive id derives a vaſorum communicatione ſive a nervorum ab iisdem truncis venientium ſympatia; hinc aliquando teneſmus vel etiam urinæ egerendæ continuum deſiderium; quia ut notum eſt, ſitus eſt uterus inter veſicam urinariam ſuperne & inteſtinum rectum inferne. 4°. a conſenſu quem habent genitalia cum tota oeconomia animali (quique conſenſus ſatis & inſuper patet in evolutione eorundem tempore pubertatis, quot enim admirabiles tum non obſervantur in corpore humano mutationes ab hac unica cauſa derivandæ, hinc aliquando tota illa oeconomia inde afficitur, aliquando tantum quædam functiones.

§. XXI.

Accidentia autem hæc §. XX. pondere majora & numero plura obſervantur communiter in junioribus, & quæ nondum vias has tam apertas, adeoque evacuationi menſtruorum tam aptas habent.

§. XXII.

Vidimus itaque, ſub quibus conditionibus ordinario menſtrua fluere incipiant, deſinant, qua lege, quo tenore, qua periodo, quibus ſubjectis etiam ceſſent, quibusve phænomenis ſint ſtipata. Nil ergo ſupereſt; niſi ut quædam de cauſa finali addam: Evacuantur menſtrua

ſtrua ſcilicet ne mulieri oneri fiant; Quis enim conſiderans evacuationem illam tam ſolennem, & adeo regulariter procedentem & tam æquali ùtplurimum gaudens duratione non videt evacuationem illam inſtitutam eſſe ne ſuperfluum quod mulier per cauſas ante determinatas conficit, noxam ei inferat: Quare autem mulier ſic conſtituta eſt ut neceſſario debeat plus conficere, quam ei opus eſt? omnino hoc fieri credimus in gratiam foetus & matris ipſius 1°. in gratiam foetus ut tempore incarcerationis in utero poſſit a ſuperfluo eo nutriri & incrementum capere; in gratiam matris ipſius, ne hæc ex ſua ſubſtantia foetum nutrire teneatur, quod multis oneroſum admodum, imo multis etiam impoſſibile fuiſſet: Fieri autem hoc ſuprapondium ſemper in pleriſque ea tantum de cauſa credimus, ut initio geſtationis ſubitæ mutationes quas neceſſario corpus muliebre propter ſuprapondium conficiendum pati debuiſſet tenello & vix trementibus hucuſque ſtaminulis conſtanti foetui nocerent: ratio autem, cur potius per uterum evacuentur, quam per aliam corporis partem videtur omnino incluſa eſſe in iis quæ diximus ſub cauſa determinanti, dein etiam in hac cauſa finali pro prima parte: quod autem ſanguis hic, ſi non evacuetur oneri mulieribus ſit, patet non ſolum ex ſymptomatibus ſuppreſſionis hic non pertractandis, ſed imprimis hoc patet ex mirificis, quas natura hic aliquando molitur deviationibus & evacuationibus per aliena loca, inde ratione communicationis vaſorum per hæmorroides, ratione laxitatis naturalis alicujus partis, per hæmorragiam narium, vel etiam per hæmoptoën, facta ſanguinis excreatione per pulmones cum levamine ægrotantis, ratione vitii conformationis in aliqua parte ut eſt debilitas alicujus vaſis, ratione vitii per accidens in aliqua parte contingentis, ut eſt contuſio ictus caſus ſolutio continui, ratione validi nixus vaſa in partibus quibuſdam diſtrahentis; qualis eſt ſter-

ſternutatio ſublevatio ponderis, conamina in alvi depoſitione, tandem & ratione ſecretæ cujuſdam communicationis cujus rationem reddere non poſſumus, qualis eſt menſtruorum evacuatio per palpebras, per poros cutaneos per genas per digitos &c. quæ omnes deviationes ab auctoribus obſervatæ ſunt: Addi forſan ad finem primarium poſſet finis ſecundarius, quod natura aliquando utatur hac via ad morbos quoſdam ſolvendos, unde ad pubertatem reſpiciens Divus Senex dicit aph. 18. Sect. 3. „ morbos perſeverare ſolere qui non circa menſtruo„ rum eruptiones ſolvuntur; & ad alium ſtatum morboſum aph. 32. Sect. 5. „ mulieri ſanguinem evomenti men„ ſtruis erumpentibus bonum:

Et Hæc ſunt B. L. quæ in hoc ſpecimine pertractare conſtitueram.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Datur communicatio inter vaſa uteri & placentæ.

II.

Uterus videtur unica pars corporis menſtruationi deſtinata.

III.

Videtur foetus potiſſimum per umbilicum nutriri.

IV.

Sanguis menſtruus eſt innoxius per ſe quin & ſimilis alii C. H.

V.

Menſtruationem per anaſtomoſin fieri credo.

VI.

Menſtruorum cauſa materialis eſt Plethora.

VII.

Ceſſatio menſtruorum in lactantibus & gravidis non eſt præternaturalis.

VIII.

Supra pondii cauſa finalis eſt foetus.

E R R A T A.

pag. 7.	*lin.* 10.	pro eo	*leg.*	ex
pag. 8.	*lin.* 3.	in notis	*leg.*	Littrio
pag. 12.	*lin.* 2.	pro eorum	*leg.*	earum
pag. 23.	*lin.* 2.		*leg.*	aörtæ deſcendentis
	lin. 15.		*leg.*	lentor in
pag. 24.	*lin.* 6.	pro ſpæ.	*leg.*	ſphæ
pag. 25.	*lin.* 18.	pro der	*leg.*	deter.
pag. 28.	*lin.* 10.	pro gerere	*leg.*	genere
pag. 29.	*lin.* 10.	pro menſl.	*leg.*	menſt.
pag. 30.	*lin.* 9.	pro ſenec	*leg.*	ſenex
pag. 32.	*lin.* 16.	pro ut.	*leg.*	ne.